

ex fundo bene culto utilitatem quærere, omnia referre: & ut ille acquiratur, his medijs insistere, ut fundo, ejusq; qualitatibus recte cognitis, aptis organis ejus fœcunditas labore debito ad artis præcepta promovetur, justoq; tempore omnia regantur. Ars igitur agriculturae si docetur, nihil debet discenti proponi, nisi quibus medijs ager coli possit commodissime, ut uberrimum ferat fructum. Artis enim summa est, invenire præcepta ad finem producendum.

37. Quæ methodus in artibus, quibus aliquis effectus intenditur, adhibetur, eadem debetur etiam disciplinis moralibus, quæ uno nomine vocamus philosophiam practicam seu civilem. Hanc enim inculcaturi, finem hominis summum, beatitudinem scilicet & felicitatem in vita perfectissima, diligenter inquisitum, ante omnia præmittimus in parte Politice fundamentali, nempe in Ethica, & cognito quadam tenus subjecto, in quod introducenda est, animo puta humano, deinde quomodo, quibusq; medijs illum finem assequi valeat, subjungimus: & virtutibus virum bonum & beatum efficientibus, ordine explicatis, Rempubl. in Politica in suis principijs & speciebus, tanquam subjectum, consideramus, & quo ordine, quaque forma sit constituenda, conservanda & à morbis liberanda, docemus, & ad hanc finem omnia in tribus illis partibus Politicæ, νομοθεσίᾳ, βαλεντιᾳ, δικαιοσ्यᾳ, dirigimus: qui processus observatur etiam in Oeconomicâ, cum felicitas in societate domestica queratur.

38. Et quia Jurisprudentia est particula quædam prudentiæ politicae, ut quæ τὸ δικαζόν seu facultas juris dicundi informatur, contradistincta τῷ βαλενομένῳ & τῷ περὶ τὰς αρχὰς seu prudentiæ consultatriciæ in senatu, & potestati variorum magistratum in diversis praefecturis, non nisi analyticō ordine & ipsa conscribi & proponi potest, ut ante omnia finis Jurisprudentiæ, qui consistit in iuris naturalis & positivi interpretatione, inculgetur. Et propterea statim queritur, quid sit ius & quotuplex. Hinc media conquiruntur, quibus ille finis in societatem humanam, tanquam subjectum jurisprudentiæ, introducatur: & sic de personis primum, earumq; potestate & obligatione, deinde de rebus tam corporalibus, quam incorporalibus, earumq; possessione & dominio, tandem de actionibus, earumq; condicione & judicio agitur: & in his omnibus omnia ad dictum Jurisprudentiæ finem diriguntur, ut jus unicuique recte administretur.

39. Me-